

per semihoram repetendo. Attamen Confessarii sæpius infirmum invisere debent, si morbus protrahatur, postquam Sacramentis munitus fuerit, ut eum in mediis doloribus et tentationibus extremi agonis solentur, et ad spem fiduciamque erigant (1).

2° Imo expedit pluries iterum absolvere moribundos sensibus jam destitutos. Ratio est, quia intervallum lucidum habere possunt pro sequenti absolute, licet forte in præcedenti nullum habuerint. Insuper, si usu rationis, licet brevi tempore, gaudeant, iterum atque iterum peccare possunt, et proinde etiam medicamine spirituali indigere. Ita S. Lig. n. 482, in fine; et Hom. apost. n. 57, ubi dicit: *tales infirmos posse absolvi etiam ter vel quater in die.*

719. — R. ad 2^m Quæ. 1° Magnopere laudanda est agendi ratio LUBINI, et inducendus est ad eam sedulo prosequendam, pro fructu, auxilio ac solatio moribundorum, qui omnimodo in tantis angustiis adjuvandi sunt.

2° Consequenter ipse carpens PAULINUS jure meritoque carpendus est, ex eo quod praxi infirmis adeo salutari obsistat. Praxis autem illa, licet ab Ecclesia non expresse præscribatur, a pluribus Theologis, et præsertim a S. Ligorio, cujus doctrina ab Ecclesia approbata est, docetur et enixe commendatur, atque a piis Confessariis communiter adhibetur.

720. — R. ad 3^m Quæ. Confessarius, in excipiendo moribundorum, confessionibus, non debet tam severe procedere circa numerum et species, quam cum cæteris; quia vires mentis et corporis pœnitentis, aut forte instans mortis periculum, id non permittunt. Hoc præsertim valet: 1° si pœnitens ægre confiteatur, et minutis quæstionibus graviter defatigandus esset; 2° si Sacerdos jam accessisset cum Sacro Viatico, aut si medicus instaret ut Viaticus cito infirmo ministraretur: tunc enim melius est ad dispositionem pœnitentis, quam ad integritatem confessionis attendere; sufficit tunc infirmo imponere, ut confessionem repetat cum convaluerit.

CASUS XVI.

CONFESSARIUS CUM MORIBUNDIS 2°.

Casus extremæ necessitatis.

ALBINUS, neo-Sacerdos, ut Vicarius GERUNDIO Parocho jam senescenti adjungitur; sed vix ad locum sibi assignatum advenerat imperitus ALBINUS, eique obsequia præstiterat, cum ecce GERUNDIUS audiens

(1) « Les Curés et les Confesseurs ne doivent pas se persuader que tout leur ministère soit rempli, lorsqu'ils ont administré les derniers Sacraments à leurs malades. « Ils continueront à les voir et à les servir le plus souvent qu'il leur sera possible, « pour les soutenir et les fortifier, aux approches de la mort, contre les attaques de « l'ennemi du salut. Un évêque ne peut tolérer la conduite d'un Curé, d'un Desservant « ou d'un Aumônier qui néglige de visiter les malades, après leur avoir donné l'Extrême- « Onction. » V. Goussé, n. 622.

TITIVM concubinarium, a pluribus annis cum meretrice cohabitantem, moribundum jacere: « Perge, perge ocius, ait novo suo ministro; tu enim juvenis velocius ad auxiliandum periclitanti advolabis. Eia, ne timeas, casus quidem gravissimus est qui tibi prima fronte occurrit; sed tales casus ad experientiam, mi bone, viam sternunt. » Præsto adest tremebundus Vicarius. Jubet statim ejici concubinam. TITIVS parere recusat: 1° quia ista mulier est sibi et familiæ necessaria; 2° quia plures liberos ab ea suscepit; 3° quia ab anno integro cum ea non peccavit, et ipse est ex hac vita jamjam discessurus. ALBINUS dubitat utrum possit hunc moribundum absolvere, Eucharistia reficere, sacro Oleo perungere. Tandem nullum Sacramentum ei concedendum esse statuit, et tristic mœrensque recessit. Mox autem TITIVS animam efflavit, ante tribunal tremendi Judicis compariturus.

HINC:

QUÆR. 1° An TITIVS absolvi potuerit, et aliis muniri Sacramentis, non ejecta concubina?

2° Quid de rationibus ab illo allatis?

3° Quid, si ageretur de concubina in domo amasii ægrotante, aut de meretrice in lupanari moribunda?

4° Quid, si concubinatus esset occultus, v. g. si famula cum hero clam male viveret?

SOLUTIO:

721. — R. ad 1^m Quæ. Communiter loquendo absolvi non potuit, si concubinarium fuit publicum, ut in casu supponitur. Ratio est, quia, præter occasionem peccati fugiendam, necessaria est satisfactio scandalo proportionata; seu, per separationem publicam, scandalum publicum omnino removendum est.

Dixi communiter loquendo, quia, si concubinarium graviter decumbens mulierem dimittere non possit, v. g., si adeo sit derelictus, ut, ea dimissa, neminem habeat qui ipsi necessaria præstet, tunc absolvendus est, et aliis Sacramentis muniendus, modo vere contritus judicetur et coram adstantibus promittat, se mulierem ejecturum esse statim ac ad sanitatem redierit, in tali enim necessitate scandalum reparatur eo modo quo reparari potest: nemo quippe ad impossibile tenetur, *Bouvier, Dissert. in 6^m Præcep. Decal. art. 2.*

722. — R. ad 2^m Quæ. Per se rationes a TITIVO allatæ non valent ad eum excusandum ab obligatione concubinam dimittendi. Etenim: 1° *Non valet prima ratio*, scilicet concubinam esse ipsi et familiæ necessariam, nisi neminem habeat præter eam ad sibi auxiliandum; siquidem ratio scandali tollendi quam maxime urget. 2° *Nec valet secunda ratio*, nempe eum liberos a concubina suscepisse; urget enim magis inde separationis obligatio, cum scandalum adhuc apertius sit. 3° *Nec valet tertia ratio*, scilicet utrumque a concubinato ab uno anno cessasse, quia ignorant alii an verum sit, et cohabitatio semper scandalum producit. Nec obstat quod TITIVS sit moriturus; scandalum enim prius tollendum est.

723 — *R. ad 3^m Quæ.* Absolvenda erit hæc concubina vel meretrix, si disposita videatur, et pariter erit Oleo sacro unghenda, quia separatio ab occasione in eo casu est impossibilis. Poterit etiam S. Viaticum concubinæ ministrari, quia in his circumstantiis facile scandalum cessabit ob evidentem rei necessitatem. Non tamen deferenda esset S. Eucharistia ad meretricem in lupanari ipso morientem, ob publicam decentiam, et quia absolute necessaria non est.

724. — *R. ad 4^m Quæ.* Si concubinitas sit occultus, non erit *per se* urgenda separatio sub denegatione absolutionis, ob scandalum quod ordinarie sequeretur, si concubina in his circumstantiis dimitteretur. Sic enim publice manifestaretur commercium quod occultum est. Sed obtinenda erit a moribundo promissio dimittendi ancillam, si convalescat; et interea curandum est ut fiat saltem separatio ab habitaculo, atque ut ancilla ad eum non accedat, nisi urgente necessitate. Si autem mors non immineret, regulariter ægrotus absolvi non deberet, donec prius separatio facta esset, si fieri posset. *Bouvier, ibid.*

CASUS XVII.

CONFESSARIUS CUM MULIERIBUS.

Ne quid nimis.

URBANUS inter alios Confessarios valde conspicuus apparet. Cernis enim sedem ejus ad confessionem ingenti mulierum caterva circumfusam. Sed oculos conjicias in adversam partem. Illic adstat Confessarius alter, SEVERUS, scilicet. Vides quam raræ appareant piæ feminæ ad ejus pedes provolvendæ! Quæres forsitan, unde tantum discrimen inter clientelam utriusque Confessarii proveniat? Rem tibi subjiciam. Provenit ex ipso discrimine quod inter utrumque intercedit. URBANUS, indole comis, corde bonus, peramanter et humanissimis verbis quascumque pœnitentes ad se accedentes excipit, eisque animum facit, et imprimis sinit eas quantum libuerit verba profundere, magnaque patientia et amœnitate auscultat quidquid ipsis effutire placet. Cum autem gens muliebris ut plurimum garrula sit et loquax ex natura sua, hæc agendi ratio Confessarii ipsi gratissima est.

SEVERUS e contrario, indole austerus, liberius agit et severum semper vultum gerit, neque sinit sermones in longum protrahi. Ratio ejus est, quia, ait, Confessarius cum mulieribus *gravis semper et brevis esse debet.* Hinc semper urget et instat, ne pœnitentes quidpiam inutile proferant. Quare frequentissime hæc in ore habet: *Sufficit..., satis est..., deinde..., postea..., perge, perge...! utquid in his immoraris? Heus! hæc sunt næniæ! sunt nugæ! jam plus æquo istud dixisti... Ne, quæso, tempus inutiliter conteramus.* Igitur prior Confessarius semper oleum profundit, posterior acetum. Unus semper mellifluus est et gratissimus, alter vero austerus et ingratus. Sic URBANUS columbas allicit, SEVERUS vero eas abigit.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quomodo in genere procedendum sit cum mulieribus in spiritali directione?*

2^o *Quid de utroque Confessario dicendum?*

SOLUTIO :

725. — *R. ad 1^m Quæ.* Hac de re satis erit peritissimos et insignes audire magistros. Sic S. Ignatius de Loyola in Regulis pro Sacerdotibus S. J., Reg. 9 : *In audiendis confessionibus feminarum, severos potius quam familiares Confessarii se exhibeant; in universum tamen paterna quædam et spiritalis gravitas in eis eluceat* (Reg. 16). *Eos qui crebrius confitentur, maxime feminas, breviter expediant, nec de rebus ad confessionem non pertinentibus in confessione loquantur. Extra confessionem vero, si oportebit eas alloqui, id fiat in loco patenti, nec longum sermonem misceant, et oculos modeste demissos habeant* (Reg. 17).

726. — Sic S. Lig. in *praxi Confessarii*, n. 119 : « Summe cautus debet esse Confessarius in excipiendis confessionibus mulierum. Regulariter in confessionario cum junioribus sit potius rigidus quam suavis. Extra confessionarium non immoretur ad colloquendum cum feminis in Ecclesia, omnemque familiaritatem cum ipsis devitet. Abstineat etiam a recipiendis munusculis, et præcipue ad earum domos nunquam accedat, excepto casu gravis infirmitatis; et tunc magnam adhibeat diligentiam in audiendis illarum confessionibus; januam apertam relinquat; sedeat in loco ubi videri possit ab aliis, oculosque in faciem pœnitentis nunquam defigat, et hoc præsertim currit, si sint personæ spirituales, cum quibus est periculum majoris adhæSIONIS... Unde, ait S. Augustinus apud S. Thom. opusc. 64, de famil. dom. : *Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus habendus est; nec tamen quia sanctiores, ideo minus cavendæ : quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt.* »

727. — Hæc habet Concina de ministro Sacramenti Pœnitentiæ, c. 4, in fine : « Prudentia Confessarii summopere elucere debet in feminarum confessione. Ad mulieres audiendas obarmet se Confessarius, et divinis præsiidiis se munit perinde ac si serpentis sibilos excipere deberet. Vox, suspiria, lacrymæ ipsæ feminarum veneficia et præstigia sunt, quæ magnetica quadam vi cor humanum inficiunt... Illa intima communicatio et totius interioris animi manifestatio, qua feminæ vulnera sua exponunt, superat illam quæ cum maritis intercedit. Nisi tota in Deum ordinata sit, si quidpiam humani misceatur, omnia in corruptionem recident... *Gravitate semper cum mulieribus præ se ferat Confessarius; munuscula ab iisdem non accipiat. Nunquam illas audiat, nisi precibus munitus, et Dei præsentia obarmatus. Sermones semper breves sint... Consule tibi, et nunquam severioris supercilii cum feminis adhibiti te pœnitebit; familiaritatis vero pœnas dabis. Illud altius animo tuo insculptum hæreat : *Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens.* Eccli. 42. 14. »*

Hinc Patres clamant : *Brevis et rigidus cum mulieribus sermo est*

habendus. Tempore quo Confessarius unius devotæ femellæ confessionem audit, viginti viros sanctificaret, et tamen nunquam illa contenta semper conqueritur, te ab illa esse alieno animo: propterea tuis commodis et humori inservit, ut existimari a te mereatur.

728. — *R. ad 2^m Quæst.* Jam liquet ex dictis quid de utroque Confessario sentiendum sit. Indulgentior et facilius unus; severior et durior alter; prior januam pandit variis abusibus et incommodis, pluribusque periculis, licet optima præditus sit intentione; posterior animas nimis constringit, contorquet ac vexat, atque a frequentandis Sacramentis arcet. Uterque igitur æquam justæ mediæ balancem teneat. *Ne quid nimis.... In medio enim stat virtus*. Medium autem in paterna quadam gravitate consistit, ut supra dictum est.

729. — Tu igitur, URBANE, serva quidem hanc, quam tibi præstitit Deus, cordis clementiam, et animi urbanitatem ac mansuetudinem, sed majori induere gravitate, et superfluos sermones tum tuos, tum pœnitentis sedulo præscinde. Cave ne quidpiam patiaris humani, ita ut *oculus tuus* sit semper rectus et *simplex*. Memor esto ad te pertinere, in sacro tribunali, non solum munus patris, sed etiam iudicis et medici, imo te gerere personam Christi ipsius.

Tu autem, SEVERE, minus parce oleo, et minorem acetæ copiam in animarum plagas infunde. Patientia major tibi necessaria est, ut audias *quandoque*, licet invitus, nugas quæ a mulieribus sæpe solent admisceri in confessione, nec possunt *semper* impediri; sic enim tantum aliquando veritatem expiscari poteris. Scito non omnes pœnitentes, præsertim feminas, posse compendiosas confessiones peragere. *Brevis esse laboras, et ecce fis obscurus*; titubat, hæret pœnitens, pluries dicta repetit, et nedum brevietur confessio, e contrario magis producit. Quid igitur proderit? Quo jure vero dicere potes pœnitenti, peracta confessione: *Vade in pace*, cum tu ipse eam in perturbationem dejeceris? Recole pervulgatum axioma, scilicet: *Plures muscæ melle, quam aceto capiuntur*. Sic etiam de pœnitentibus.

CASUS XVIII.

CONFESSARIUS CUM SPONSIS 1^o.*Dialogus inter duos Confessarios circa absolutionem sponsis dubie dispositis impertiendam.*

LANDULPHUS: Dic mihi, ROBERTE, dic, amabo, quænam sit praxis tua cum sponsis pridie nuptiarum, plerumque imparatis, ad te accedentibus, vel etiam cum adolescentibus qui, Sacramentum Confirmationis suscipere cupientes, repente adveniunt cum jam instat cæremonia peragendæ dies, quin de ulla præparatione faciendâ curaverint?

ROBERTUS: Praxis hæc omnibus difficillima et intricatissima quidem est. Ego tamen methodum propriam inveni; hac cum pace omnium utor; omnibus et mihi suavis et jucunda est. *Experto crede Roberto*. Omnes hu-

jusmodi ad me accedentes *conditionaliter* absolutos dimitto, et sic innumeris eripior difficultatibus. Tu vero, mi bone, quid in pari casu?

LANDULPHUS: Laxismo plena est praxis tua, ROBERTE; tu vero meam accipe methodum. Dimitto ego absque absolutione omnes pœnitentes quos parum dispositos, vel prorsus indispositos reperio, ipsis tamen commendando enixe ut actum contritionis perfectæ ante Sacramentum sive Confirmationis, sive Matrimonii eliciant.

HINC:

QUÆR. 1^o *Quid de praxi LANDULPHI, seu de contritione perfecta præfatis pœnitentibus præscribenda?*

2^o *Quid de praxi ROBERTI circa conditionalem absolutionem in simili casu?*

SOLUTIO:

730. — *R. ad 1^m Quæst.* Praxis LANDULPHI minime probanda videtur; est enim insufficientis ad sacrilegium vitandum, illusoria et periculosa.

1^o Est insufficientis: Etenim contritio perfecta in hujusmodi pœnitentibus est valde difficilis, ne dicam moraliter impossibilis. Nam supponuntur juvenes salutis æternæ prorsus incuriosi, res religiosas fastidientes, a Sacramentis et officiis christianorum alieni, in cœno vitiorum immersi, et sæpe in ipsa Fide dubii. Quandoquæ, quæso, tales homines sibi solis relictæ actum contritionis perfectæ eliciant? Nedum de ea solliciti sint antequam Sacramentum vivorum recipiant, ne de illa cogitabunt quidem. Insuper, credis contritionis perfectæ futurum esse capacem pœnitentem qui indicia attritionis sufficientia præbere non potuit, dum a Confessario excitaretur atque adjuvaretur? Fictitia erit ejus contritio, non vera.

731. — 2^o Est illusoria et periculosa: etenim tales pœnitentes, moniti de actu contritionis perfectæ eliciendo ante Sacramentum vivorum suscipiendum, facile existimantes satis esse ad suæ obligationi satisfaciendum si illum qualicumque modo eliciant, ipsius efficaciam minime consequentur, et fucum sibi facientes, ad confitendum non accedent, et in peccatis tabescent. Ergo non apparet qua ratione LANDULPHUS adeo commendat praxim perfectæ contritionis pœnitentibus, quos absolutione indignos reputat. Melius sane faceret, si sedulius et diligentius adlaboraret ut illas Christi oviculas, ab ovili aberrantes, ad meliorem frugem reduceret.

732. — *R. ad 2^m Quæst.* Praxis ROBERTI non est omni parte laudanda, neque probanda. Bona quidem est, imo et enixe commendanda cum pœnitentibus dubie dispositis, postquam Confessarius omnem sollicitudinem adhibuit ut eos ad dolorem de peccatis adduceret. Etenim, cum forte sint sufficienter dispositi, jam habetur spes validitatis absolutionis, et proinde spes de Matrimonio ab eis in statu gratiæ suscipiendo; dum absque absolutione dimissi certo Sacramentum vivorum in statu peccati mortalis suscipiant, et animo dejecti, a confessione in posterum se retrahent.

733. — Mala est vero praxis ROBERTI cum iis qui prorsus indispositi apparent, nec, adhibita omnimoda Confessarii cura, magis disponuntur, v. g. cum iis qui ad Confessarium accedunt tantum ut confessionis sche-

dam obtineant, vel integre confiteri nolunt, hoc solum effutientes, nempe quod fecerint id omne quod juvenes ejusdem conditionis facere solent, et alia hujusmodi. Ratio est, quia absolutio ne conditionalis quidem dari potest, ubi dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum omnino deficit. Attamen Confessarius nihil intentatum relinquere debet ut homines hujusmodi ad meliorem frugem reducat, et saltem conditionalem absolutionem iis impertire valeat. *Recole dicta* de Absolutione conditionali n. 395, *et vide dicenda* de Matrimonio, n. 922, 923.

CASUS XIX.

CONFESSARIUS CUM SPONSIS 2°.

1° SYNESIUS, Confessarius, inquietus de dispositionibus sponsorum Matrimonii causa confitentium, industria utitur ad dubium dirimendum. Porrigit enim ipsis sponte schedulam confessionis, imperfecta confessione, hortando eos ut mox redeant ad reportandam absolutionem; quod si redeant, concludit pœnitentes dispositos esse; secus vero indispositos, et consequenter se prudenter egisse.

2° MARCUS autem schedulam confessionis libenter concedit juvenibus, qui loco confessionis fatentur se unice ad prædictam schedulam obtinendam accedere, vel qui, rogati ut confiteantur, respondent se omnia patrasse quæ juvenes patrare solent.

3° HENRICUS vero, cum sub nocte admisisset ad Confessionem CAIUM, die sequenti summo mane Matrimonium initurum, mox advertit eum plus æquo bibisse et esse semiebrium, et prorsus indispositum. Quamobrem, impertita ei sola benedictione, schedula confessionis concessa, ocius eum dimittit.

HINC :

QUÆR. 1° *An prudenter egerit SYNESIUS?*

2° *An admittenda sit praxis MARCI?*

3° *Quid vero de agendi ratione HENRICI dicendum sit?*

SOLUTIO :

734. — *R. ad 1^m Quæst.* SYNESIUS minus prudenter egit, schedulas confessionis sponsis, dilata absolutione, tradendo. Ratio est, quia eos exposuit facili periculo non redeundi ad confessionem perficiendam, et proinde Matrimonium sacrilege contrahendi. Quare igitur instat adeo ut Sacramenti Pœnitentiæ profanationem impediatur, et nullatenus ut digne suscipiatur Matrimonium attendit? Errat SYNESIUS insuper, judicando sponso ad absolutionem reportandam non revertentes, dispositione ad Sacramentum requisita carere; nam facile fieri potest ut sufficiente contritione polleant, vel saltem ad eam facili negotio disponi possint, et tamen ex incuria, aut mutata voluntate, non amplius redeant. Ergo minime laudandus est SYNESIUS, imo graviter arguendus.

735. — *R. ad 2^m Quæst.* Minime admittenda est praxis MARCI Confessarii; falsum enim continet testimonium, siquidem asserit sponsum talem confessum esse, quod falsum est. Non est eroganda schedula confessionis simulato pœnitenti, saltem *per se loquendo*. Dimittatur ille ad proprium Parochum, vel ad eum a quo benedictionem nuptialem accipere debet; hic autem judicabit utrum eum ad nuptias, ommissa confessione, admittere debeat, necne. Neque in hoc est periculum frangendi sigillum; hoc enim oritur ex sola confessione sacramentali, qualem non facit ille qui, animo simulato, ad confessionem accedit. *Elbel*, n. 493.

736. — *R. ad 3^m Quæst.* HENRICUS non est damnandus. Quid enim tu illius loco fecisses? Confessio CAII fuit sacramentalis, et proinde ad sigillum obligans, cum semiebrius actum humanum ponere possit. Ergo schedula confessionis, saltem extra confessionem, ei negari non potuit. Sed neque in ipsa confessione, ut patet ex circumstantiis, nam instat Matrimonium celebrandum, et gravissimum *per se* incommodum esset tum pœnitenti, tum sponsæ et aliis, si differri deberet. — Cæterum, qui non sunt Parochi, prudentes sint in admittendis ad confessionem proxime nupturis, et in pluribus casibus ad Parochum eos remittant, ne occasione schedulæ ipsimet irrideantur.

CASUS XX.

DEFECTUS CONFSSIONIS REPARANDI 1°.

NABORIUS, Sacerdos, proluxa PETRI confessione excepta, totus impensus in salutaribus monitis ei suggerendis, et difficultatibus exsolvendis, impertientiæ absolutionis prorsus oblitus est. Inadvertentiæ omissionisque solum meminit, ubi, in sacrarium reversus, se ad Missam celebrandam parabat. Tunc vero secum volvere cœpit quidnam remedii afferret, nec ei menti occurrebat. Contigit autem ut, dum Sacrum faceret, pœnitens ille Eucharistiam suscepturus ad altare accederet. Quid tunc NABORIUS? Dum Hostiam a pixide accepit PETRO porrigendam; secreto, ut adstantes non adverterent, dixit: *Ego te absolvo a peccatis tuis*.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid agendum Confessario qui absolutionis pœnitenti impertienti oblitus est?*

2° *An recte se gesserit NABORIUS?*

SOLUTIO :

737. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° Nihil prorsus faciendum est, si pœnitens venialia tantum clavibus subjecerit, ut res per se patet.

2° Si mortalia accusaverit, et si adhuc moraliter præsens quando Confessarius ad oblivionem advertit, statim absolvendus est, licet præ turba non amplius cernatur, nisi facile sine ejus offensione vel aliorum scandalo revocari queat.

3° Si abierit, revocandus est sub aliquo prætextu, si facile fieri possit,